DAMOCLES,

SIVE

PHILOSOPHUS REGNANS.

DRAMA

ACTUM BIS

LUDIS PRIORIBUS

ANNI M. DCXCV. & M. DCCII.

IN REGIO

LUDOVICI MAGNI COLLEGIO

Societatis JESU.

Auctore P. GABRIELE FRANCISCO LE JAY

ex eadem Societate.

PARISIIS,

Apud JOANNEM MARIETTE Bibliopolam, viâ Jacobæâ, ad inſigne Columnarum Herculis.

M. DCCIII.

CUM PERMISSU.



ILLUSTRISSIMO VIRO

MARCO RENATO

DE VOYER D'ARGENSON,

URBANÆ DISCIPLINÆ

PRÆFECTO.

DUM *publica ac privata totius Urbis commoda, tranquillitatem, diſciplinam ſedulo feliciterque promoves,* Vir Illustrissime; *an polliceri mihi poſſim, ſatis tibi fore*

otii ab ea ſollicitudine quam parit tot negotiorum moles, ut brevem hanc Fabulam, ſub præſidio tui nominis in publicum venire geſtientem, ultro perlegas? Quanquam & hoc operum tuorum eſt, amandare procul à bene morata civitate, ſi qui tam præpoſtere ſentientes de re Politica, quam ſenſit olim Damocles, invenirentur.

Ut ut eſt, VIR ILLUSTRISSIME; *ridebis mehercule novum in Damocle Politici viri genus; qui hauſtam ex inani Philoſophorum ſchola, ut ſibi videbatur, ſapientiam, graviſſimis quibuſque rebus moderandis parem crederet.*

Ridebis inquam, Tu qui in ea familia natus es, quam non ſola armorum gloria, vel ab ipſis Ca-

*roli Calvi temporibus * ad noſtram* * Anno 877.
hanc ætatem uſque propagata nobilitat; ſed etiam ſumma Rei Politicæ laus, in adminiſtrandis ſapienter Provinciis, in ſanciendis opportune Fœderibus, in Legationibus feliciter obeundis illuſtravit. Tu, cujus Avus egregiam in Gallia, in Hiſpania, in Italia cum navaſſet operam, Legatus demum Chriſtianiſſimi Regis apud Venetos extinctus, perenne rerum bene geſtarum, Sereniſſima Republica magnificis ſumptibus procurante, monumentum promeruit. Tu cujus Pater, obita apud eoſdem Venetos Legatione, ſic omnium conciliavit animos, & ad amorem pacis adduxit; ut, ad perpetuam rei memoriam, Reſpublica gentilitio Legati, &

poſterorum ipſius ſcuto ſuum ipſius inſeri voluerit: approbante publicis litteris Rege Chriſtianiſſimo, & remuneratam fidelis Miniſtri ſui dexteritatem atque ſapientiam gratulante.

Sed quid ego illa prædicem quæ tam noſtris, quam peregrinis annalibus copioſe ſunt conſignata? Ignoſces, VIR ILLUSTRISSIME, *hæc ſi delibaſſe videar, qui nihil ambirem aliud, niſi meam erga te ſingularem obſervantiam teſtari.*

VIR ILLUSTRISSIME,

Tibi deditiſſimus, GABRIEL FRANCISCUS LE JAY, è Societate JESU.

PRÆFATIO.

MIRUM forte videbitur, quod ex Aulico Viro, qualem Hiſtorici pingunt, Poëta Philoſophum effinxerit; illudque prætermiſerit in Damocle, quod præcipuum narrari ſolet. Nam quis neſcit Damoclem fuiſſe unum ex Dionyſii Siciliæ Regis aſſentatoribus, qui regnandi captus illecebris, Regum & ipſe fortunam voluit experiri? eo demum exitu, ut imminentem capiti nudum enſem, qui juſſus erat appendi, dum metuit, intelligeret;

non tam lætam eſſe, quam putabat, Regnantium conditionem.

Hoc ipſum teſtatur Tullius in Tuſculanis: idemque deſignare voluit Horatius *lib. 3. Od. 1.*

Diſtrictus enſis cui ſuper impia
Cervice pendet; non ſiculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent.

Tamen ſenſi, dum hæc Fabula ſemel atque iterum exhiberetur, non tam incommode mandatas fuiſſe homini Philoſopho partes Damoclis: & eſſe multa Principi optimo ſuorumque amanti; quæ vel diſtricto enſe metuenda magis viderentur.

Hoc igitur mihi, uti ſpero, facile condonabitur; ſi nihil aliud

de Damoclis hiſtoria, ſive fabula retinuerim, niſi quod Regum ſortem ambiret, periculorum aut neſcius, aut ſecurus. Cetera quæ pro Fabularum licentia finximus, ita ſunt temporis illius, quo res contigiſſe dicitur, moribus accommodata, ut ſin minus vera ſunt, veriſimilia certe videri debeant.

Etenim nulla fuit olim regio Philoſophorum tam amans, quam Sicilia. Illuc quaſi in ſuum domicilium appellebant, quot quot artem illam profitebantur: & reliquis pulſa Græciæ partibus ſchola Pythagorica, tutum in eo regno præſidium invenit. Erat vero Philoſophicæ gentis ea confidentia, tanta ſolertiæ, quam

Philoſophia dabat, opinio; ut tum demum felices fore populos jactitaret; cum aut Reges Philoſopharentur; aut, quod ipſis ſapiebat multo magis, Philoſophi regnarent.

Google

ACTORES.

DIONYSIUS	Siciliæ Rex.

AULICI.

CLEOBULUS.

AMYNTAS.

PHILOPATER.

LAMACUS	Carthaginenſis Legati perſonam ſimulans.
NICANDER	Legati Epirotæ perſonam ſimulans.
NICETAS	Tonſorem ſimulans.
DAMOCLES	Philoſophus.

SCENA

SYRACUSIS IN PALATIO DIONYSII.

ACTUS PRIMUS.

SCENA PRIMA.

DIONYSIUS, AMYNTAS, CLEOBULUS.

DIONYSIUS.

QUID eſt Amynta ? fare , quis Siculas calet
Rumor per oras? noſtra dum Superi approbant
Conſilia, Populus facta quo vultu aſpicit ?

AMYNTAS.

Subactus hoſtis , proſpero bella exitu
Confecta , longæ pacis aſpirans quies ,
Satis hac beatas ſorte Syracuſas probant.

DIONYSIUS.

Utinam beatas ! ſed age ; nil veteres dolent
Belli ruinas ? nemo penſatos male
Queritur labores ? nemo regnantem arguit ?

Amice, ſi quid noris erratum, doce.
Simulata mitte verba.

AMYNTAS.

Simulatum nihil,
Invicte Princeps: quà latus Siculum patet;
Nomen verendum pariter & amandum geris.

DIONYSIUS.

Id eſſe credam? blanda nequidquam obſtinas
Occinere. Melius diſce Regnantum vices,
Amice: cunctos, quo vides poſitum in gradu,
Non, ſi velim feciſſe contentos, licet.

AMYNTAS.

Cumulare populi vota qui potuit, nihil
Ultra expetendum fecit; aut ſi quid Deos
Rogare deinceps liceat, incolumis diu
Regnes, precamur!

DIONYSIUS.

Sortis ô cumulum aſperæ!
O dura Regum fata! men' cupidum boni
Rectique amantem, nullus errantem avocet;
Rebuſque amicam commodet dubiis opem?
Cleobule, fuci neſciam expecto fidem.
Præſtabis?

CLEOBULUS.

Ultro: vera narrantem audies,
Rex magne; ſolitam præſto, quam repetis, fidem.
Dum cuncta faciles cœpta fortunant Dei:
Egregia cœlo facta dum populi ferunt;
Habilemque celebrant ſceptra moderantis manum:
Tibi parce nimium plaudere; eſt media gravis
In urbe cenſor, rigidus intractabilis,
Cujus ſeveræ cuncta cenſuræ patent;
Vel ipſa Regum geſta. Terribilem virum
Reverere, quantus quantus es: non te hæc ſatis,
Quacumque fulges, purpura illæſum dabit.

DIONYSIUS.

Quis ille, quodve nomen?

CLEOBULUS.

Eſt ſecta Sophus,
Hominique nomen, Damocles.

AMYNTAS.

Stultum hinc procul
Et inficetum, ſi quod eſt uſquam, caput
Omitte ſodes: nempe curandum putas,

Aut condolendum; ſi quid hoc hominum genus
Forte improbarit? Regiis parce auribus
Ingerere nugas futiles.

CLEOBULUS.

Verum petis,
Rex magne? verum refero. Sit ſanum caput,
Vacuumne cerebro, nil moror: vades dabit,
Quiſquis volet; Pol non ego.

DIONYSIUS.

Hoc ſenſu places;
Cleobule: cedo jam amabo, quid demum arguat?

CLEOBULUS.

Is rebus atram ſingulis figit notam.
Decreta, leges, dicta, facta vellicat;
Inſanientis artifex ſapientiæ.

DIONYSIUS.

Hominem placet videre.

CLEOBULUS.

Ni falſum auguror;
Mox aderit.

DIONYSIUS.

Unde hoc æſtimas?

CLEOBULUS.

Librum edidit.

DIONYSIUS.

Et illum amaris, ſcilicet, fartum probris?

CLEOBULUS.

Imo: ſed altam; ſi qua debetur fides
Homini, volumen continet ſapientiam.

DIONYSIUS.

Quis porro titulus?

CLEOBULUS.

Titulus? hic eſt: *Philoſophus,*
Regnans, & artem rite regnandi docens.

AMYNTAS.

Regi dicatus eſt liber?

CLEOBULUS.

Sic dicitur.

DIONYSIUS.

His me erudire quippe documentis parat?

CLEOBULUS.

Omnino: & illa ſi modo ſerves memor,
Rex magne; populis pollicetur auream
Felicitatem, nomen æternum tibi.

DIONYSIUS.

Documenta noſtin' illa?

CLEOBULUS.

Quæ didici, eloquar,

Si lubeat.

DIONYSIUS.

Age ſis.

CLEOBULUS.

Credis hoc quiddam arduum;

Efficere, ut omnes ſe beatos æſtiment?

DIONYSIUS.

Eheu! periclo ſatis id expertus meo!

CLEOBULUS.

At ille primam Regibus legem irrogat,

Omnem ut querelis penitus occludant viam.

DIONYSIUS.

Artemne, quâ quis aſſequi hoc poſſit, docet?

CLEOBULUS.

Tumultuoſi Martis ancipitem aleam,

Cauſaſque belli barbaras procul in plagas

Mandare: pacis colere perpetuæ otia:

Omnes amicos, hoſtem habere neminem:

Populos tributis atque vectigalibus

Eximere ; per ſe regere, moderari omnia :
Humeriſque rerum pondus immenſum ſuis
Ferre, adminiſtro nemine: hæc Regem bonum,
Magnumque, veri Damocles ſiquid crepat ;
Ars illa populos ſola felices facit.

DIONYSIUS.

Tam facilis utinam, digna quam Regum foret
Ars illa !

CLEOBULUS.

Facilem Damocles artem hanc fore
Ubique jactat: quando Philoſophos penes
Erit poteſtas ſumma.

DIONYSIUS.

Philoſophos penes
Rerum poteſtas ſumma ? Tam ſtultas preces,
Hoc perduellis mente concipiat nefas ?
Ni Regis iras pigeat indignum in caput
Laxare ; faxo vindicem me me ſciat ;
Interque pueros aut Sophiſtarum greges
Abſtruſus, inde proprio diſcat malo
Regum vereri facta. Sed ludos dare
Præſtat, mihi vobiſque.

AMYNTAS.

Si ludos amas,
Rex magne; ludos melius haud quiſquam dabit.
Non ille larva vel cothurnis indiget
Cui barba ſeſquipedalis è mento fluat.

DIONYSIUS.

Accipite, quales mediter inſidias viro.
Negotiorum mole defeſſum gravi
Me velle fingam pondus inviſum imperî
Abjicere: dein virtute vel meritis parem
Nullum profeſſus Damocli, aut habilem magis,
Imperii habenas regere qui poſſit, virum;
Suadebo, ſolium ut ipſe conſcendat; nova
Populis daturus jura. Conſilium placet,
Cleobule?

CLEOBULUS.

Lepidam, per Deos, ſcenam offeret
Siculi repente culmen imperii tenens
Philoſophus!

DIONYSIUS.

At vos ille ſpectabit labor;
Hæc machinari, ſtulta queis ſapientia

Impingat, & veſana dominandi fames.

CLEOBULUS.

Permitte nobis cuncta; noſtras, ut decet,
Partes agemus. Quibus at impenſis luat
Faſtus ineptos? numquid indigna Sophus
Impune Regum ſceptra tractarit manu?

AMYNTAS.

Quid ille perdat? curta res hominum id genus
Brevis & ſupellex ſequitur.

CLEOBULUS.

At mento gravis
Dependet olli barba: plus ſatis eſt: jube
Barbam recidi. Cuncta Philoſopho abſtulit,
Auferre barbam qui poteſt.....

SCENA SECUNDA.

DIONYSIUS, AMYNTAS, CLEOBULUS, PHILOPATER.

PHILOPATER.

Regem alloqui,
Niſi eſt moleſtum, Damocles quidam velit.
Ingens volumen in ſuo geſtat ſinu:

Animumque tacitus magna meditantem exhibet.

DIONYSIUS.

Cleobule, veſtem regiam, & capitis decus,
Sceptrumque, & omnes ire queis reges ſolent,
Mihi apparatus provide. Cum res feret,
Huc advolabis.

CLEOBULUS.

Imo, ſolertem inſuper
Rex magne, doctum & præſto tonſorem tibi.

AMYNTAS.

Cleobule, ne te hæc cura ſollicitet: labor
Meus ille fuerit, ſi voles; cupidum dabo
Hominem jocorum, ludicri artificem doli.
Mihi crede; partes rite tonſoris geret.

CLEOBULUS.

Eſto: ipſe propero, juſſa quo Regis vocant.

SCENA TERTIA.

DIONYSIUS, AMYNTAS, PHILOPATER, DAMOCLES cum libro.

DAMOCLES.

Rex, vive: fauſtos Damocles optat tibi
Spondetque, ni fors refugis, æternum Deos.

DIONYSIUS.

Ten' video tandem, proximum Superis caput?
Oracla cujus, lapſa ſeu fuerint polo,
Siculus veretur orbis. Heu! quæ te mihi
Invidit uſque ſors mala?

DAMOCLES.

Ah! Nihil hinc dole:
Tibi vixit uni Damocles.

DIONYSIUS.

Egone id putem?
O' me beatum!

DAMOCLES.

Noſter hic faciet fidem ;
Regnantum in uſus , & tuos , ô Rex , Liber ;
Difficilis operæ , nuper in lucem datus.
Fructum hunc laboris ardui ; & amoris cape
Perenne pignus : hoc duce , errabis nihil ;
Altâque populos pace compoſtos diu
Summis & imis pariter acceptus reges.

DIONYSIUS.

Summis & imis pariter acceptus , diu
Populos in altâ pace compoſtos regam ?
Utinam liceret ! fruſtra es ; infectum canis.
Ars illa nulli nota Regnantum fuit.

DAMOCLES.

Rerum poteſtas ſumma Philoſophos penes
Si quando fuerit ; quod ais infectum , brevi
Factum videbis.

DIONYSIUS.

Nil moror , per te , obſecro ;
Exequere ; votis quod ego nequidquam omnibus
Dudum ambii ; quod & aſſequi nunquam autumem.

Oneri bonus ſuccede: meliori volens
Permitto ſolium. Siculi habenas imperî
Inflecte. Populi Damoclem Regem ſciant;
Pronoque ſacrum vertice agnoſcant caput
Totas pererrans præco Syracuſas, jube * *Ad philopatrum*
Mandata referat noſtra. Cleobulum admone,
Amynta; ut adſit illico; & tanto ferat
Parata Regi decora.

SCENA QUARTA

DIONYSIUS, DAMOCLES.

DAMOCLES.

Sic regnum abjicis?
Deliberata mente? nec facti piget?
Olim aut pigebit?

DIONYSIUS.

Longa dum populis quies
Aſpirat; omnes dum beatos efficis
Beatus ipſe; quid mihi optandum eſt ſuper?
Hac lege ſceptri reputo jacturam levem.
Moderare Siculos. Interim Dionyſius
Procul tumultu, ſorte contentus ſuâ,

Quamcumque Superi lucis uſuram dabunt,
Hanc exiget.

DAMOCLES.

Non ille, qui mortalium
Perſtringit oculos, purpuræ inſanus nitor;
Non imperantum, ſceptra, quæ decorant manus,
Aut regias corona quæ cingit comas,
Tentavit unquam Damoclem: hoc unum ambio,
Dum Regni habenas dextra non refugit, palam
Feciſſe, quanta, Rege Philoſopho, bona
Sperare populis liceat.

SCENA QUINTA.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS,
NICETAS Tonſorem ſimulans, cum Tonſoris ſupellectili.
CLEOBULUS cum apparatu Regio.

DIONYSIUS.

Antiquum ocyus,
Et obſoletum, Damocles, cultum exue.
Depone primo pallium; & latos tegat
Regalis humeros purpura. Galerus locum
Cedat coronæ. Tonſor eſt aliquis, grave
Et inane pondus qui metat?

CLEOBULUS.

Præſto eſt, ſua
In arte tonſor habilis, aut nuſquam fuit.

NICETAS.

Proh quanta! quam prolixa! quam ſurgit bene
Foliata mento barba! ne peream male;
Si talis unquam ſub mea cecidit manu. *
Quid refugis autem? ne time; vix ſenſeris.

Accedit Nicetas ad Damoclē cum Novacula; & ab eodem repellitur.

Tam leviter ambas dextra percurret genas !

DAMOCLES

Faceſſe, parricida. Si regno fruar;
Pro ſcelere tanto, quas decet, pœnas dabis.

CLEOBULUS.

Permitte: cultus iſte non Regem ſapit.
Nec barba ſeſquipedalis.

DAMOCLES.

Inſulſum genus !
Facitne Reges purpura, aut gemmis nitens
Regale ſceptrum, dum vacat cerebro caput ?
Removete vana decora: plus ſapientiæ
Hoc continetur pallio quod deſpicis,
Quam tota capere regia ſupellex queat.

AMYNTAS.

Sic perſonatum credis ut regem approbet,
Metuatve populus ?

DAMOCLES.

Amabit, hoc unum volo.

NICETAS *Seorſum.*

Ridebit, aut illudet; hoc certum ſcio.

DIONYSIUS.

Hirſuta facies forſan incutiet metum,

Moraſque

Moraſque amori faciet; hoc ſaltem feras,
Pars amputetur aliqua.

DAMOCLES.

Ne minimum quidem,
De ſegete tota, patiar avelli pilum.
Vel recipe regnum; vel mihi intactas opes
Relinque. Neſcis, ſentio, quanto ſtetit
Alenda pretio barba. Nil ſapiam magis,
Quam ſapere didicit reliqua gens mortalium;
Niſi me illa vili pignora è vulgo eximant.
Proin parce deinceps obloqui; ac ſi me jubes
Regnare; diſce Regis imperium pati.

DIONYSIUS.

Parebo. Populos igitur arbitrio rege.
Regem exuo. Vos, Damocli obſequium & fidem
Jurate, proceres. Primus advolvar pedes,
Et imperantis oſculer dextram ſine.
Abſcedo. *

* *Egreditur.*

CLEOBULUS.

Noſtra pariter obſequia excipe.

DAMOCLES.

Procul hinc inanes mittite obſequii notas,

Nos alia tangit cura. Ne Siculi diu
Populi moremur gaudia : agnoſcat ſuum
Ametque Regem. *

* *Egreditur.*

AMYNTAS.

Quos parat nobis jocos?

NICETAS.

Philoſophe, veſper antequam claudat diem;
Vah! ſi vel unus ſtabit in mento pilus.

Finis Actus primi.

ACTUS SECUNDUS.

SCENA PRIMA.

DAMOCLES cum libro.

JAm ſecla redeunt aurea; Philoſophi imperant!
Procul hinc tumultus Martis: æternam domi
Foriſque pacem, quid quid eveniat, volo.
Lex prima Regni. Mutuus populos amor
Regemque ſociet: nulla quod pietas queat
Exigere, nunquam turpis eliciat metus.
Vectigal omne penitus exſcindi placet,
Et abrogari: nulla me vivo prement
Tributa Siculos. Dives eſt Princeps ſatis,
Populorum amore qui fruitur. Utinam hanc forent
Artem eruditi ſapere, quicumque imperant!
Nil profuturas facile deſpiciant opes.

SCENA SECUNDA.

DAMOCLES, AMYNTAS.

AMYNTAS.

INvicte Princeps; Regis alloquium petit
Siculi Adminiſter imperî: graves ait
Urgere cauſas. Numquid admitti placet?

DAMOCLES.

Siculi Adminiſter imperî affatum petit?
Quiſquamne Siculum regere qui regnum autumet,
Me præter?

AMYNTAS.

Omnes ut decet parent tibi.
At iniqua rerum te nimis moles premat;
Niſi ſit Miniſter, ferre qui partem adjuvet.

DAMOCLES.

Quieſcat ille, quiſquis eſt. Per me omnia
Præſtabo ſolus, ne time: haud ego impares
Oneri ferendo cuilibet humeros gero.

AMYNTAS.

Etiamne Proceres conſilî in partem abnuis?

Adhibere !

DAMOCLES.

Procerum plena nil fuco moror

Conſilia. Siquid pariat ambages, Liber

Reſolvet ille melius: hinc ſana eruam

Conſilia: nihil hic ſubdola fronte obteget;

Metuetve, rectum quid quid eſt, palam eloqui.

Proin mecum eodem ſedeat in ſolio velim;

Regem unde propius ipſe conſiliis regat. * *Librum in ſolio deponit.*

SCENA TERTIA.

DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS.

CLEOBULUS.

POEnorum ab urbe miſſus Orator, petit

Regem alloqui, ſi liceat.

DAMOCLES.

An notum tibi,

Quid portet ille? quid velit?

CLEOBULUS.

Quid ſit rei,

Docebit ipſe melius; huc infert gradum.

DAMOCLES.

Abſcedite ambo: neminem arbitrum velim
Adeſſe; ſi res poſtulet, utrumque ocyus
Revocabo.

AMYNTAS.

Egrediuntur Amyntas & Cleobulus.

Juſſus exequi promptos habes. *

SCENA QUARTA.

DAMOCLES, LAMACUS Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans.

LAMACUS.

REx vive. Tecum Pacis æternum rogat
Carthago fœdus.

DAMOCLES.

Quam petit, Dux inclyte,
Carthago pacem, Damocles ultro annuit,
Amicus uſque pacis.

LAMACUS.

Hoc animo forent,
Quicumque populis jura legeſque irrogant!
Amare pacem perge, & invicta manu
Contunde, quiſquis auream pacem abjicit.

DAMOCLES.

Nam quo iſta demum pertinent? pacem petis
Et dira ſuades bella.

LAMACUS.

Pacem non amas;
Niſi pacis hoſtes perdis. En toto ruit.
Epirus in nos agmine; & latè impias
Poenorum in arva detulit belli faces.
Proin arma junge ſocia: nobiſcum opprime
Hoſtem beatæ pacis.

DAMOCLES.

An nullus poteſt
Modus eſſe pacis alius? inviſum mihi eſt
Belli vel ipſum nomen; & pacem execror
Bello redemptam.

LAMACUS.

Pacis in bello tamen
Spes una; fruſtra nectere ambages velis.
Poenos vel armis adjuva; vel ſi negas;
Tibi Poenus hoſtis imminet.

DAMOCLES.

Belli furor,
Humana quo non pectora in præceps rapis!

SCENA QUINTA.

DAMOCLES, LAMACUS Legati Carthaginenſis perſonam ſimulans, AMYNTAS.

AMYNTAS.

LEgatus alter, magne Rex, aditum rogat.

DAMOCLES.

At unde porro?

AMYNTAS.

Miſit Epirus.

LAMACUS.

Bene eſt.

Jam noſſe dabitur, hoſtis an amici velis

Partes tueri.

DAMOCLES.

Nullus hoſtis eſt: cur non licet

Omnes amicos eſſe?

AMYNTAS.

Quid referam?

DAMOCLES.

Mone,

Amynta, ut adſit.

AMYNTAS.

AMYNTAS *Seorſum.*

Captus eſt: belle dolus
Procedit.

DAMOCLES.

Unde rebus in miſeris ſalus
Aderit? in ipſo limine an victus cadam?

SCENA SEXTA.

DAMOCLES, LAMACUS Legati Carthaginienſis perſonam ſimulans.
NICANDER Legati Epirotæ perſonam ſimulans.

NICANDER.

Ingratus aures rumor ad noſtras iit:
Quod ferre Pœno militi auxilium paras;
Pactamque toties Regibus noſtris fidem
Abrumpis.

DAMOCLES.

Imo pacis auctorem puta.
Ah! ſinite amica pacis utrique ingeram
Conſilia: coeant mutuum in fœdus, precor,
Epirus & Carthago.

NICANDER.

Nil agis; bellum placet.
Eſt in propinquo miles armatus: vide
Quid agas? amicum te ſibi Epirus negat,
Niſi Pœnus hodie norit ultricem manum.

LAMACUS.

Te Pœnus hoſtem reputat; æternas niſi
Juratus iras, urbe rivalem ejicis.

DAMOCLES.

Quo, quo ſceleſti ruitis? inſano modum
Ponite furori: veſtra vel ſi jam nihil
Placare poſſit odia; quid amantem otii
Cupidumque pacis aſperant? Unum ambio
Petoque: amicus eſſe ut ambobus queam;
Hoſtes & ambo patior!

NICANDER.

Haud tales ſibi
Tempus querelas poſcit: abrumpe ocyus
Moras inanes. Ede reſponſum. Abnuis?
Jam jam furenti miles accinctus face
Ferroque, cuncta clade fatali eruet.
Turmas reviſo.

DAMOCLES.

Cur fugis? paulum, obſecro,
Subſiſte.

LAMACUS.

Fœdus quando Pœnorum abjicis;
Abſcedo pariter. Funus urbi, ſi potes,
Defende; moneo: proxima obſeſſos dies
Muros videbit.

DAMOCLES.

Parce: nam cur ſic furis?
Meliora loquere.... Fata regnantum aſpera!
Deliberandi tempus exiguum date;
Annuite, Proceres conſilî in partem ut vocem.
Præſtare ſolus numquid ut poſſim omnia?

NICANDER.

Abſolve; tempus urget: ulterius moras
Non patior.

LAMACUS.

Aut rem perage quamprimum; aut vale.

DAMOCLES.

Recurrit ad librum quem in ſolio poſuerat.

Tu me ergo recti ſolus interpres, Liber,
Quid facere deceat cardine hoc rerum, doce.

NICANDER *Ad Lamacum.*

Delirat : animus ſede non conſtat ſua.
Pedem inde referam.

LAMACUS *Ad Nicandrum.*

Video : res loquitur palam.
* Maleſane ; prædam utrique peropimam dabis. *

** Ad Damoclem.*
** Abſcedunt Lamacus & Nicander.*

SCENA SEPTIMA.

DAMOCLES.

Quid agam ? vel unde rebus anguſtis opem
Parabo ? Cupido pacis en jam jam imminet
Fatale bellum. Dura necquidquam bonus
Mollire volui corda : conſilia & preces
Sprevere. Quanquam hæc levia : quem ſummum reor
Cumulum malorum ; meus hic, afflicto, Liber,
Spes una, medias inter ærumnas ſilet !
Quid deinde ſupereſt ? Egone, quos repuli male,
Revocabo Proceres ? Quibus at irriſum modis

Saniqueegentem conſilî excipient ? .. Tamen
Res urget : hoſtis geminus ad portas ruit.
Niſi ingruenti promptus occurram malo,
Urbs luctuoſo tota fato concidet :
Me vincla, vel mors durior vinclis manet ! ..
* Sed unde ad aures clamor inſonuit meas ?
Fit ſtrepitus: aliquis portat huc celeres gradus.
At concitatum ne quis in vultum intuens,
Pavitantis animi forſan agnoſcat metum :
Hilaranda facies.

Fit ſtrepitus poſt ſiparium.

SCENA OCTAVA.

DAMOCLES, AMYNTAS,
CLEOBULUS.

CLEOBULUS.

Magne Rex !

DAMOCLES

Quid eſt novi,
Cleobule ?

AMYNTAS.

Princeps !

DAMOCLES.

Fare.

CLEOBULUS.

Proh dignum vice

Meliore Regem!

DAMOCLES.

Quis tremor pectus quatit?

Silent; & ora triſtis obſcurat dolor!

Quid eſſe credam? Nam quid ancipitem tenes?

Effare, Amynta.

AMYNTAS.

Potius æternum mihi

Silere liceat!

DAMOCLES.

Quid quid eſt, effer palam,

Cleobule; jubeo, loquere.

CLEOBULUS.

Terribilis pavor

Diffuſus animis, grande preſagit malum.

Populus per urbem mente lymphatus furit;

Sibique clamat adeſſe ſupremum diem.

Vis nulla, nullus judicum aut legum pudor

Sedare potuit uſque maleſanos metus.
Quin & procacem verſus in rabiem timor,
Extrema quævis aggredi jam jam parat.
Vidi ipſe, dum plebs rabida præcipitem huc gradum
Urgeret; atque, parce ſi dico, ô nefas!
Regis verendum nomen oneraret probris.

DAMOCLES.

At unde motus ille? quis tales ciet
Impune turbas?

AMYNTAS.

Fecit his turbis viam,
Uterque greſſum Regia qui jam extulit
Legatus. Ambos ira vecordes agit:
Queſtique de te gravius, exitium horridum,
Totique diras proximam in lucem faces
Minantur urbi.

DAMOCLES.

Perfidi! Hoc illis dolet,
Quod auctor uſque pacis, infandum execror
Belli furorem.

AMYNTAS.

Populus hinc dirum infremit,

Gemino nec hoſti par ſatis, triſtem occupat
Animo ruinam.

DAMOCLES.

Rebus an miſeris ſuper
Spes nulla? Amici, quæſo, conſilium date:
Veſtram fidem repoſco.

CLEOBULUS.

Conſilium petis?
Per te ipſe melius cuncta præſtabis modo.
Vel ſi qua mentem cura ſollicitam quatit;
Tuus ille quaſvis ſolvet ambages Liber.

DAMOCLES.

Ah! ne mihi negate, quam repetunt, opem;
Iniqua nimium tempora.

AMYNTAS.

In bello ſalus:
Si tamen amorem pacis ingenitum potes
Excutere.

DAMOCLES.

Video: pax quidem melior foret;
Sed bella tempus poſcit. Ad bellum ocyus
Inſtruite cuncta. Vincor; & durum eſt quidem,
Sed vincor. Iras vindices jam ſentient

Epirus & Carthago. Jacta eſt alea
In utramque gentem Siculus irrumpat furor;
Dignaſque tanto ſcelere pœnas exigat.

CLEOBULUS.

Belle iſta. Belli nervus atenim deficit
Pecunia; hauſtæ proximis bellis opes;
Et unde ſumptus ſufficitur, Ærarium
Inane penitus.

DAMOCLES.

Robore & ferro eſt opus,
Cleobule; non auro, vel argento.

CLEOBULUS.

Putas,
Servire gratis miles ut velit? aut levi
Paſcatur aura?

DAMOCLES.

Dum vocat Patriæ ſalus,
Nemo pericli particeps eſſe abnuat.

CLEOBULUS.

At arma ſaltem miles & victum roget;
Utrique ni tu provides, bellum cadit.

DAMOCLES.

Itane eſt? Malorum bella proh! quantum trahunt!

At vos, Amici, facite quid agendum ut ſciam.
Et quando bella regias poſcunt opes,
Opes parandi, quis erit, ubi deſunt, modus?

AMYNTAS.

Unum ſcio, Rex magne.

DAMOCLES.

Quis demum, obſecro?

AMYNTAS.

Tributa nempe ſolita, vel ſi res ferat,
Majora populis imperes.

DAMOCLES.

Me ne exequi
Id poſſe? Siculos jamne vobis excidit
Per me ſolutos onere vectigalium?
Facti an pigeret tam cito?

AMYNTAS.

Recte, an ſecus
Id feceris; penſare porro jam tuum eſt;
At ratio ſuper hæc una, qua regnum licet
Tutari ab hoſte:

DAMOCLES,

Numquid ultro commodet
Patriæ ruenti populus?

AMYNTAS.

Ut populi indolem

Male æſtimaſti! quod placet, ſaltem hoc petas,
Rex magne; vel ſperes nihil.

DAMOCLES.

Regem, obſecro,

Vos regite: veſtræ, nil moror, ſapientiæ
Permitto cuncta. . . . . Mene Philoſophum tamen
Proprii indigentem conſilî alieno regi?
Et tu ſilebis uſque nequicquam Liber
Toties vocatus? Abeo; ſi ſtrepitu procul
Potiora miſero forte conſilia ingerat.* ** Egreditur.*

CLEOBULUS.

Quid noſter ille Damocles?

AMYNTAS.

Tota, ædepol,

Incœpta belle fabula; ut ſtructos ſibi
Ultro volenſque bellua in caſſes dedit!

CLEOBULUS.

Quid Lamacus & Nicander? an quiſquam, putas,
Utroque melius agere Legatos queat?

AMYNTAS.

Partes uterque rite commiſſas agunt.
Aſt inchoatus quando ſuccedit dolus,
Urgenda res eſt.

CLEOBULUS.

Ne te hic extimulet labor.
Ordimur: alios debet inſulſum caput,
Dabitque nobis, ſpondeo, actutum jocos.

Finis actus ſecundi.

ACTUS TERTIUS.

SCENA PRIMA.

DAMOCLES, MILES armatus, Damoclem Theatrum trajicientem inſequens.

MILES.

ITe, ite, larvam Regis, infandum caput
Mactate celeres, rapite: tela, vim, faces
Inferte.

DAMOCLES

Per alium Theatri aditum regreſſus.

Superi! prodor; illudor, petor!
Adeſte, ſocii, milites, opem date
In perduelles, impios, nefarios.
Nihil ago, nil promoveo, nullus advolat,
Apparet, adſtat.... Efferi! implacabiles!
Eheu! cruentam vix ego effugi necem...
Quis me locus tutetur? Occidimus!.. Labant
Genua, per artus frigidus ſudor fluit;

Et anhela dirus corda terrificat pavor.
Tantone redimi debuit Regnum malis;
Vel inane Regis nomen? ô fallax bonum!
Quantum malorum fronte ſub blanda tegis!
Quanquam vel iſtud rebus in miſeris adeſt
Solamen: haud me cœca dominandi fames,
Vel fulgurantis purpuræ inſanus nitor
Stimulavit unquam, lubricas regum vices
Subire. Volui, fata ſi ſinerent, novas
Inſtruere ad artes omne regnantum genus;
Volui beatæ pacis æternæ otia
Præſtare Siculis: dura vectigalium
Abolere penitus jura: cunctos inſuper
Beare. Noſtris uſque cœptis obfuit
Mortalium gens cœca; nec gravibus malis
Adeſſe patitur ægra medicantis manum.
Jam quid juvet regnare?

MILES

Regreſſus in Theatrum, Damoclem cogitlatebras quærere.

Nam quo transfuga
Se ſe recepit? Ruite pollutam domum,
Retegite latebras. *

* *Abſcedit.*

DAMOCLES *Emergens è latebris.*

Rurſus ingeminat fragor !
Suos & in me populus intractabilis
Acuit furores ! Nil moror ; regnum auferat.
Regem coactus indui, regem exuam
Lubenter.. . . At ſi barbari & lucem parant
Eripere ; quid agam ? Facile quis regno poteſt
Carere ; vita non poteſt, * Aliquis gradum
Accelerat. Heu me ! Nullus effugio eſt
locus.
Abſcondar, & ſilebo : ſeceſſum dabit
Hic angulus.

**Fit ſtrepitus.*

SCENA SECUNDA.

DIONYSIUS, AMYNTAS,
CLEOBULUS.
DAMOCLES ſic abſconditus,
ut animadverti mox poſſit.

DIONYSIUS.

Cleobule, numquid dixeras
Regem huc receptum ?

CLEOBULUS.

Plebis elapſus modo
De manibus, iſtam viſus in partem, fugam
Celeraſſe.

DIONYSIUS,

Nemo eſt; quis habet hunc tandem locus?

CLEOBULUS.

Latitabit.

AMYNTAS.

Latitantem Damoclem animadvertens & Dionyſium admonens.

Hem!

DIONYSIUS *Submiſſa voce.*

Reſiſte.

CLEOBULUS *Submiſſa voce.*

Pol ipſe eſt.

DIONYSIUS *Submiſſa voce.*

Sile.

Elata voce. *Ubicumque, Amici, lateat, hinc Regem illico
Retegamus. Urbi flebile exitium ingruit.
Hinc hoſtis, inde plebis inſanus furor
Mox cuncta late vertet.

AMYNTAS.

O rerum vices!

DIONYSIUS.

DIONYSIUS.

Totam rebelles Regiam armatis tenent
Complentque turmis; ſaxa jam, ferrum & faces
Impune volitant: clauſtra multiplici arjete,
Verſoque poſtes cardine emoti labant.
Populi furentis impetum atque iras graves
Ni Rex verenda comprimat præſentia;
Quæ ſpes ſalutis ſuperet, haud video ſatis.

CLEOBULUS.

Putas ſalutem rebus afflictis ferat,
Per quem exulaſſe fertur è regno ſalus?
Imo quietis objicem & pacis moram
Plebs efferata Damoclem plecti nece
Per fas nefaſque repetit; & tota abditum
Veſtigat aula. Ni fugam celerem paret;
Et abominandum ſubtrahat populo caput,
Male occupatum ſanguine imperium luet.

DAMOCLES *è latebris ſuis.*

Nam quis beatæ commodet fugæ modum?

AMYNTAS.

Unde ille gemitus prodit? An Regem intuor?
Rex magne, quis te caſus afflixit ſolo?
Permitte. * *Damoclē erigit*

DAMOCLES.

Nomen parcite inviſum mihi
Objicere: Regem pariter & regnum execror:
*AdDionyſium, * Tu recipe ſceptra quæ dabas: tibi hæc volens
Reſtituo: regno fruere: Syracuſas rege.
Ego in latebras abditus rurſum meas,
Meliora ſceptris otia æternum ſequar.

DIONYSIUS.

Mihi ſceptra reddis ſcilicet? regnum volens
Reſtituis? Ergo, quam dedi pacem, adjice:
Securitatem redde: populorum integros
Reſtitue amores. Iſta, cum regnum dabam,
Dedi omnia: ecquid reddis? En tota furens
In urbe populus ferrum & infeſtas quatit
Miſcetque flammas: hoſtis inſtat mœnibus
Utrinque: nomen regis in probrum incidit.
Regnare nam quis hoc ſtatu rerum velit?
Aut redde cuncta, quæ dedi, aut regnum, ut potes,
Tuere.

DAMOCLES.

Sceptra regere dum licuit; tui
Miſertus, ultro commodam exhibui manum.

At iniqua Siculis fata quandoquidem negant;
Felicitatis ne quid in populum aureæ
Per me redundet; ſceptra quid diutius
Retinere placeat? vel quid iratos morer
Placare vobis irrita Divos prece?
Nunc ergo damnis, ſi voles, præſentibus
Medere. Populos noſtra queis proſint magis
Conſilia, quos & reddere beatos queam,
Alios reviſo.

DIONYSIUS.

Futiles etiam jocos
Adjiciat? & quæ fecit inſultet malis,
Sceleſtus? Aberat iſte nequitiæ modus,
Ut temeritati jungeret proterviam.
Aſt impudentes reprimam faſtus modo,
Philoſophicoſque ſpiritus. Quæ deſpicis
Reſumo ſceptra: primus at Regem ſcies.
Hinc rapite, jubeo, vile & inſulſum caput,
Dignamque populo victimam actutum date.
Placabit iras forſan effuſus cruor.

DAMOCLES.

Miſereſce potius... genibus affuſum vides,
Rex magne; miſero, ſupplici veniam annue.

Facti piget doletque.

AMYNTAS *Submiſſa voce ad Cleobulum.*

Captus eſt.

CLEOBULUS *Submiſſa voce.*

Magnam, ædepol,
Rem faciet, hunc ſi frangat incolumis dolum.

SCENA TERTIA.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, PHILOPATER.

PHILOPATER.

Actum eſt; utrinque miles infeſtus ruit,
Inſtatque portis: plebis ingeminat pavor,
Novumque furere rurſus in Regem parant.

DIONYSIUS.

Parcat furori populus, & ponat metum.
Regnum recepi: Damocles ſolio excidit,
Et inſolentem debita ſuperbiam
Pœna expiabit. Hoſtis alloquium pete,
Amynta; & æquis legibus pacem roga.

Lex illa pacis prima; turbarum caput,
Auctorque belli Damocles letho cadet.

SCENA QUARTA

DIONYSIUS, DAMOCLES, CLEOBULUS.

DAMOCLES.

Lex dira! lex iniqua! quid feci miſer?
Cujuſve tandem criminis pœnas luo?

DIONYSIUS.

Crimen petis, ſceleſte? dum patriam obruis?
Dum luctuoſi ſuſcitas belli faces?

DAMOCLES.

Invitus.

DIONYSIUS.

Inconſultus.

DAMOCLES.

Ah! me perdidit
Fatalis error. Sapere cur volui nimis?
Veterique fruſtra ferre medicinam malo?
Utinam tenebris uſque primis abditus,

Inviſa nunquam ſceptra tractaſſem manu!
Omni periclo procul & inſano metu,
Hoc involutus Pallio, & mihimet vacans,
Sine nube ſoles ducerem! Heu! quantoſtetit
Fatalis aulæ, tempus ad modicum, leves
Captaſſe plauſus! Triſte documentum ſumus,
Majora nequis viribus tentet ſuis,
Ultraque ſortem regium affectet decus.

CLEOBULUS

Ad Dionyſium ſubmiſſa voce.

Spem facere ſi quam lucis afflicto placet;
Hac lege Barbam ſponte reſecandam dabit.

DIONYSIUS.

** Ad Damoclē.*

Experiar. * Iſta ſapere decuiſſet prius,
Philoſophe.

DAMOCLES.

Video. At numquis eſt veniæ locus?
Num mitigari triſte ſupplicium poteſt?
Non me cruenti terreat lethi gradus;
Vel emori tam grande crediderim malum.
At quanta, Superi! nomini Philoſophico
Labes paratur, ſiquid in noſtrum genus
Feralis auſit carnifex... * Quid intuor?

** Lamacum & Nicandrum videt.*

Vel quo quietis publicæ oſores pedem
Impune referunt? Fugio, conſpectum horreo.

SCENA QUINTA.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, LAMACUS Legati Carthaginienſis perſonam ſimulans, NICANDER Legati Epirotæ perſonam ſimulans.

LAMACUS.

Tibi magna faciles optat æternum Deos
Carthago, legem & pacis oblatam accipit.

NICANDER.

Hac Lege pariter priſtinum Epirus velit
Renovare fœdus.

DAMOCLES.

Ut meam coeunt bene
Ambo in ruinam!

DIONYSIUS.

Libero pactam fidem.

DAMOCLES.

Perii!

DIONYSIUS.

Ecce veſtras Damoclem trado in manus.

DAMOCLES.

Per ſi qua pietas.

DIONYSIUS.

Veſter eſt.

DAMOCLES.

Veniam obſecro,
Largire.

DIONYSIUS.

Non eſt jam meum: quidquid fuit
Mihi juris in te, Damocles, totum exui.
Habes utrumque mortis ac vitæ arbitrum.

LAMACUS.

I nunc, Profundi carceris latebras pete,
Devota furiis victima; & meritam necem
Hîc opperire.

DAMOCLES.

Conſcium teſtor polum;
Ut innocens hæc patior!

NICANDER.

O frontem æream!
Et pervicacem! quis nocens, ſi tu innocens,
Scelerate,

Scelerate ? Tene, vile, deſpectum caput,
Fæxima plebis, culmen ad ſummum imperî
Moviſſe greſſus ; atque polluta manu
Maculaſſe Regum ſceptra ?

DAMOCLES.

Si videor nocens,
Rex magne, quid quid ſceleris admiſſum fuit,
Te, te petebat ; ipſe quin plectis reum ?
Noſterve ſi te potius inflectit dolor,
Miſereſcis ? Ah ! ne tam pium pecca in genus:
Vixiſſe per te liceat ! hoc tu ſi dabis,
Nil deprecabor, quam voles, pœnam irroga.

DIONYSIUS
ad Lamacum & Nicandrum.

Quidquamne miſero Damocli indultum placet,
Invicta bello pectora ?

LAMACUS.

Hoc per te æſtima,
Rex magne.

NICANDER.

Quod vis ſtatue, nil in me moræ eſt.

DIONYSIUS *ad Damoclem*

Agnoſce vitæ munus, & grates habe;
Vives.

DAMOCLES.

Periclo quis Deus tanto eripit?

DIONYSIUS.

At, ne quod unquam ſimile pertentes ſcelus,
Reſecta mento Barba documentum dabit.

DAMOCLES.

Sic flecteris? ſic noſtra miſeraris mala?

DIONYSIUS

ad Lamacum & Nicandrum.

Æquum probatis ambo?

LAMACUS.

Sic fieri placet.

DAMOCLES.

Superi!

NICANDER.

Philoſopho pœna par.

DIONYSIUS.

Bene eſt,

AMYNTAS. *Scorſum.*

Habet.

DIONYSIUS.

Huc Tonſor aliquis.

SCENA ULTIMA.

DIONYSIUS, DAMOCLES, AMYNTAS, CLEOBULUS, LAMACUS, NICANDER, NICETAS Tonſoris perſonam ſimulans.

NICETAS.

Præſto ſum.

DAMOCLES.

Vitam, precor,
Auferte potius. Vita quid miſerum juvet,
Hoc ſi carendum, quo ſine in vita nihil
Sit expetendum jam mihi?

NICETAS.

Agnoſcis virum,
Philoſophe?

DAMOCLES.

Triſtem cuncta mihi caſum occinunt!

NICETAS.

Men' parricidam?

DAMOCLES.

Parce.

NICETAS.

Si regnum foret,
Virtutibus me nempe cumulares meis?

DAMOCLES.

Quid loqueris?

NICETAS.

Iſta nil ego Barba hactenus
Vidi comatum melius, aut ſpiſſum magis.
Quas inde noſtris laribus exuvias paro!

DIONYSIUS.

Rem perage, Tonſor, ocyus.

NICETAS *Novaculam acuens.*

Novaculam
Acuere liceat.

DAMOCLES.

Non feram; lucem potes
Adimere, Barbam non potes.

NICETAS *ad Dionyſium.*

Jam ne pilus
Effugiat unus.

DIONYSIUS *ad Nicetam.*

Age ergo.

NICETAS.

Mentum commoda,

Philoſophe? * Renuis?

* Damocles Nicetam repellit.

DAMOCLES.

Facinus immane, impium!

DIONYSIUS *ad Damoclem.*

Reſiſtis?

DAMOCLES.

O tu, quis quis es cœlo, Deus!
Qui fulmine arces crimina; hoc cernis nefas,
Et pateris?

DIONYSIUS.

Ah ludi piget? ferrum expedi,
Cleobule, ferrum.

NICETAS

accedens ad Damoclem cum Novaculæ.

Vis?

CLEOBULUS.

Damocli diſtrictum enſem intentans.

Negas?

DAMOCLES *ad Cleobulum.*

Paulum, obſecro,
Subſiſte.

NICETAS.

Mentum trade.

DAMOCLES *ad Nicetam.*

Tantiſper.

DIONYSIUS *ad Damoclem.*

Moras

Impune nectes?

DAMOCLES

medius inter Novaculam & diſtrictum enſem.

Æquior nunquam fuit

Deliberandi cauſa; moriendum mihi eſt,

Pretioſa vel ſi Barba depereat ſemel,

Philoſophus eſſe deſino. ... Quid agam? ..

Mori

Præſtiterit.

DIONYSIUS.

Ergo morere.

DAMOCLES

elatam in ictum Cleobuli manum retinens.

Quanquam!

DIONYSIUS *ad Damoclem.*

Nil agis.

Cleobule.

DAMOCLES.

Liceat verbulum.

DIONYSIUS.

Nil audio.

DAMOCLES.

Rex magne.

DIONYSIUS.

Fruſtra es.

NICETAS.

Morte nil durum magis :
Barbam mihi permitte.

DAMOCLES *ad Dionyſium.*

Jam ſi quid ſuper.

DIONYSIUS.

Eloquere.

DAMOCLES.

Rigidus quando flectique impotens,
Barbæ inſolentem ferre jacturam imperas ;
Patere in latebris triſte peragatur nefas :
Neu media facinus videat indignum dies !

DIONYSIUS.

Hoc impetras, uterque ſi factum probet.

LAMACUS.

Probamus.

NICANDER.

Eſto.

DIONYSIUS *ad Nicetam.*

Fidus adſtabis comes,
Erepta mento ſpolia dum referas.

NICETAS.

Mihi
Haud deero.

DIONYSIUS. *ad Damoclem.*

Tu mulctatus, hinc Reges procul,
Regum & verere facta.

DAMOCLES.

Nam quo me, invida
Sors, adigis?

CLEOBULUS.

Abiit.

AMYNTAS.

Ludicram, ſi qua extitit,
Dignamque ſcena fabulam!

DIONYSIUS.

His utinam jocis,
Lenire curas liceat interdum graves.

Finis actûs tertii & ultimi.

MAG 2023558